



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 3. Quid lapis in altum missus, & lapis offensionis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

tur, ita contingere inter mortales; ut illi qui hodie eminent, aliosque despiciunt, & premunt, cras ipsi quoque subsint, despiciantur, & premantur. Mihi tamen longè planior videtur tertius sensus. Neque enim necesse est, ut quando dicitur, *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum*, id intelligendum sit de lapide deorsum deuoluto; quem necesse sit sursum reuerti; sed prorsus contrario modo, de lapide, qui magna vi sursum voluitur, semperque suo pondere reuertitur ad voluentem, eumque premit, & verberat. Quod Latini ipsum significant noto illo prouerbio, *saxum voluis*, quo indicant homines inexhausto atque inutili labore fatigatos. *Satis diu jam hoc saxum voluo*, ait ille apud Comicum. Quod prouerbum censet Donatus tractum à Sisyphi fabula, saxum, apud inferos sursum ac deorsum voluentis. Verè sic *qui voluit lapidem, reuertetur ad eum*.

Terent, in
Eunuch.

§. III.

*Quid lapis in altum missus, & lapis
offensionis?*

Quo intellectu etiam dicitur: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet; & quò altiùs mittit, fortiùs cadet*. Seu autem lapidem mittat, seu sagittam, perinde est.

Eccli, 27
28.

E 2

Nam

Anthol.
l. 1. epigr.
22.

Nam & sagitta, rectis lineis emissa recidit in caput jaculantis. Exemplo est Cretensis ille, super quem confixa aquila suo ipse jaculo incidens, cum illo peremit, quod Anthologia epigrammate duplici concinne descriptum est. Ut ergo, qui vel lapidem vel sagittam in altum mittit, ita qui aliorum injuriâ petit, periclitatur. Cui æmulus est illud verbum vetus: *In cælum expulsi*, est, facis, quod in tuum ipsius caput recidat. Quæ quadrant in eos præcipuè, qui obloquuntur, aut injuriam impingunt hiis qui facile possint lædere. Siquidem, qui in cælum expuit, primùm videtur cælites ipse afficere contumelia: deinde fit sapius, ut sputum in ipsius faciem recidat. Nihil autem facilius est, quàm ut superior, si velit malum reddat inferiori. Ut enim melior est conditionis, qui ex loco altiore pugnat, ita semper plures habet tangendi inferiorum percutiendique occasiones, quisquis eminent. Itaque, etsi neminem lædere oportet, neminem tamen periculosius læditur, quàm qui potest fulminare ex alto. *Durum est contra scissum mulum calcitrare.* Ad eundem scopum tenet

Eccli. 27. dit illud: *Qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo.* Sunt, qui lapidem putent dici

29.

qual

quasi qui *ledat pedem*. Sæpe ergo euenit, vt qui lapidem ponit alteri in offendiculum, ipse sui doli oblitus in eum incurrat imprudens; immò, vt qua re alium vincere voluit, eâ vincatur.

§. IV.

Quid fuerit, aut sit lapis oneris?

Quod vt intelligas, aduerte ex D. Hieronymo, quid à Propheta Zacharia *lapis oneris* Zachar. vocetur. Vetus enim, in Iudæa, mos fuit, 12. 3.

S. Hieronymi adhuc tempore, obseruatus, vt in viculis, oppidis, & castellis rotundi lapides ponderis grauissimi ponerentur, quibus sese iuuenes exercere solitabant, dum eos pro diuersitate virium subleuarunt, alij vsque ad genua, alij ad vmbilicum, alij ad humeros & caput, nonnulli super verticem, rectis junctisq; manibus magnitudinem virium demonstrantes. Addit, etiam Græcorum morem similem fuisse. Nam se in arce Atheniensium, juxta simulachrum Mineruæ, vidisse sphæram aeneâ ponderis maximi, quam ipse pro imbecillitate corpusculi mouere vix potuerit: cum autem quæreret, quidnam sibi illud vellet? responsum ab vrbis eius authoribus, athletarum in illa massa robur comprobari; nec prius ad agonem